

diruta bello, incolis fere vacua, ab episcopatu nomen tan-
tum civitatis retinens. 1596

Ut ad institutum redeam, Spalato ante turicum bellum Sa-
lonæ turris, prope ejusdem nominis amnem, in veteris ur-
bis ruinis sita, Saxique arx, quæ inexpugnabilis habebatur,
parebant; quibus ab hostibus occupatis, Spalatensem agro-
rum termini valde imminuti, atque ad duo tantum passuum
millia redacti sunt. Quinque a Spalato passuum millibus ad
septemtrionem Clissa assurgit, Bossinæ & Croatiæ munimen-
tum; ex qua ad eas provincias invadendas aditus patet, ad
bellum alendum tunc opportunior, quod, Strigonio anno
superiore capto, nutare haud parum Cæsareanorum fortuna
videbatur; militum fervore tepefacto, imminutis copiis, Ita-
lorum flore, quod Germanorum insolentiam conquereren-
tur, dilapso; in Dacia tumultu, Sigismundo absente, a Ste-
phano Battoreo, cui Joannes Samosius, magnus Sarmatiæ
scriba, favebat, concitato. Quapropter cum inter Rodulphum
ac Mehemetem de concordia agitari variis rumoribus ferretur,
timendum erat, ne belli pondus in subjectos Reipublicæ, quo-
rum plerique iis, quæ ad Clissam gesta erant, interfuerant, in-
cumberet. At Spalatensem animi Clissæ successu ingenti spe, no-
vandarumque rerum desiderio incendebantur; ac Nicolaus Ma-
rulus, civitatis orator, qui tunc Venetiis erat, privatim ac pu-
blice de finibus patriæ proferendis sermones serebat. Salonæ ac
Saxi arces annona vacuas, subsidiis impervias vix per paucos dies
prohiberi posse, quin brevi in Uscochorum manus concederent.
Eadem a Jacobo Tartalea proponebantur. Verum hæc ut in spe-
ciem utilia, nec difficultia factu, ita tanti existimanda non erant,
ut inde publica quies in periculum adduceretur. Haud dubiis
interim argumentis Clementem eorum omnium, quæ ad Clif-
sam acciderant, consciū non modo, sed fautorem auctorem-
que extitisse cognitum est: Anconæ sulphurei pulveris cadiſ aliquot aliisque belli apparatibus celoces, quæ in Illyricum traji-
cerent, oneratas præfecti Anconitani jussu malos velaque navi-
giis reliquis adempta, ne de iis, quæ fierent, rumor dissipare-
tur. Quæ omnia ab eo fieri satis constabat, ut Rempublicam ad
arma cum Turcis conferenda vel utilitate alliceret, vel necessi-
tate compelleret. Maurus legatus in provinciam profectus, cu-
sto-

Clemens
Pontifex
Illyricos
tumultus
fover.